



## Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

22. Dies Decemb. Nemo tibi Christum potest auferre; nisi te illi auferas.  
Ambrosius super Luc. I. 5.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

nostræ Dominus : si Dominus ; nos pro illo mori non tantum decet, sed oportet. Quare, vel refugere pro illo vitæ amittendæ subire discrimen, summum est crimæn. Imò scelus est, vel dubitasse; an cum illo velimus mori; quid nolle mori? vos; si lubet, quod non licet, capescite fugam; mihi certum est, pro illo oppignorare vitam. Mori pro Christo, est nasci celo. Talis mors digna est, quæ non deploretur, quasi luctuosa epicediis; sed celebretur, quasi gloriosa epiniciis. Hæc Thomas coram Christo, & pro Christo; vir in causa Christi promptus, nihil non audere. Sic loqui, non est hominis fortis; sed ipsius fortitudinis. Nos, dum expectamus Christum nasciturum; ardore simili, verba proferamus dissimilia. Eamus, & nos, & nascamur cum illo? Eamus, non cum Apostolis in Jerusalem; sed cum Pastoribus in Bethleem, & tanquam modò geniti infantes nascamur cum illo. Moriamur mundo, in nascamur Christo, ut æternum vivamus Deo.

*Ex te Christe satus, felici est sidere natus.*

## 22. DIES DECEMB.

Nemo tibi Christum potest auferre; nisi te illi auferas. *Ambrosius super Luc. 1. 5.*

*Suspicia I.  
ad Christi  
adventum.*

**I**N uno Christo, nos habere omnia; salus est omnium, nisi salvati nolumus. Sed & hæc est summa nostra fœlicitas, non modò Christum nobis esse bonum; sed nec illud posse à quoquam, unquam aut usquam auferri; nisi nos ipsi auferamus. Nemo enim Christum amittit; nisi qui à se de-

*Pars III.*

*Tet*

*mittit.*

mittit. Jam natura humana expectatione tam diuturna tot sæculorum suspensa, & cupida, videre Dilectum, exclamabat, non sine immenso gemitu cordis: (a) *Quis mihi det, ut inveniam te foris, & deosculer te?* quasi diceret: non ego te quæro, Dilecte mi, prout intus es in sinu Patris, quia sic lucem habitas inaccessibilem; & non est, qui poterit ad illam accedere. Exi à Patre, & veni in mundum, ut inveniant te homines foris. Non te quæro in cælis, ubi jugiter videris ab iis, qui intus sunt, Angelis. Magis autem clamo: (b) *Rorate cæli de super; & nubes pluant iustum.* Non quæro, ut in forma mihi appareas Angelica; quia te ipsum requiro Dominum, & caput Angelorum. Te requiro, de quo Pater, introducens (b) *Primogenitum in orbem terræ, dixit: Et adorent eum omnes Angeli.* Non te requiro in typis, & figuris, in sacrificiis veteris legis; umbram enim habuit lex futurorum bonorum, non ipsam substantiam.

II. Non in scripturis Divinitus inspiratis Te quæro: hæc siquidem, non ipsum Te? sed testimonium perhibent de Te, tuique ingerunt memoriam, & excitant desiderium. Non in creaturis sive rationalibus, sive irrationalibus Te quæro: ille enim Imaginem & similitudinem tui; hæc solum repræsentant vestigium. At ego non aliquid tuum, quale idcunque tandem sit; sed Te, ô Dilecte vororum meorum te ipsum requiro! Hoc scilicet opto, hoc flagito; ut Te Verbum vitæ, quod fuit ab initio apud Patrem, carne indutum, videant oculi mei, manus contractent, brachia amplexentur, labia deosculentur, lingua alloquatur; & quanta, quanta sum,

(a) *Cant. 8.* (b) *Isa. 45.* (c) *Heb. 1.*

sum tota tibi indissolubiler conjungar, & vincar:  
*Tibi dixit cor meum, o Deus cordis mei! (a) exqui-*  
*sivi Te facies mea; faciem tuam, Domine requiram.*  
 Ardentia hæc sponsæ desideria; & nos quoque per-  
 acta jam tot sæculis Christi Incarnatione concipere  
 poterimus eo tempore, quo Ecclesia expectat, qua-  
 si venturum in carne Messiam. Suaviter hic Bernar-  
 dus: *(b) Dignum est, Fratres, ut tota devotione, Domi-*  
*ni celebremus Adventum; delectati, tantâ consolatione,*  
*stupesacti, tantâ dignatione; inflammati tantâ dilectio-*  
*ne.* Non invenitur Christus inter carnis delicias, sed  
 præsepiti paleas; non inter lolia, sed lilia, Mariam, &  
 Josephum; non inductus purpurâ, & bysso; sed invo-  
 lutus panis.

III. O Jesu! nunquam satis amate, nunquam  
 satis amande, transilias licet colles, & salias in mon-  
 tibz, similis capræ, hinnuloque cervorum; seque-  
 tur te perniciousis alis Amor meus. Quæ loca penè-  
 tres, quâ caligine te abdas, ut me in penetralia, & cu-  
 bilia tua Amor non ferat? In sole metaris tentorium  
 tuum? Ecce ibi amo te Solem Justitiæ; cujus pul-  
 chritudinem sol, & luna mirantur. Inter sidera Te  
 collocas? Ecce ibi amo Magnificentiam tuam, quæ  
 tam illustre mundo theatrum adornavit. Ultra stel-  
 las Te evehis, & in mediis beatarum mentium cho-  
 ris resides? Ecce ibi amo Munificentiam tuam, quæ  
 tam inexplicabiles delicias mihi apperuit. In terram  
 te condis? Ecce ibi amo immobilem Æternitatem  
 tuam; cujus memoriam, stabilitas terreni glo-  
 bi mihi excitat. In montes Te recludis? Ecce ibi  
 amo divitiastuas; quarum umbratile vestigium  
 sunt illa metalla, quorum cupidine insanientes mor-  
 (a) Ps. 26. (b) Ser. 4. de Adv. TEE 2 tales

tales, montium sinus eviscerant. In memoria, & hortos prodis? Ecce ibi amo amabilitatem tuam, quam mihi frondosa silvarum, herbida camporum, hortorum florida amœnitas, velut in imagine cogitandam objicit. Oceano, & fluctibus innatas? Ecce ibi amo Potentiam tuam, quæ undis litora circumfundit, & usque eo minaces procellas cogit elisas retrò spumescere. In aërem Te diffundis? Ecce ibi amo sapientiam tuam; quæ nubes, & ventos, & pluvias, & tonitrua, & fulgura, & rores, & nebulas, & irides, incognito humanis mentibus artificio excogitavit. Involvis te fœno, & paleis in stabulo? Ibi demum, te totum toto corde amo; illic enim mihi, quàm alibi usquam amabiliores, quia pro me vilior. Eris honorabilior in humilitate Bethleem, quàm Salomon cum omni gloria sua in Jerusalem. Plus te admirabor inter stipulas fœni, quàm inter stellas cœli. Plus me tibi obligabis, & fortius me tibi ligabis, tuis quibus involutus es pannis; quàm si me locupletares omnibus totius mundi thesauris.

*Est, quò Christe jaces, fœtum, in terris mihi cœlum.*

### 23. DIES DECEMBRIS.

Venit de cœlo magnus Medicus, quia per totum ubique jacebat ægrotus. *S. August. sup. Joan.*

Christus I.  
Medicus.

**A**Nte Christi è cœlis descensum, quid erat mundus, nisi ut probatica illa piscina, in qua jacebat multitudo magna languentium, cœcorum, claudorum, aridorum; quia necdum venerat ille, per quem cœci vident, claudi ambulant. Et quia Filius Dei necdum fuerat homo factus;